



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Coadjutor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

vel minoribus, qui mutilavit vel occidit aliquem ex quo effectus est irregularis, amittat privilegium utrumque? videtur quòd sic, quia effectus est jam inhabilis pro Ecclesia, & ita tenet Afflict. *in const. Apostatantes*, & citat Imolam pro sua sententia: ego verò sentio oppositum, quia clericus homicida non amittit ipso jure privilegium, vel beneficium si quod habet, sed venit privandus per sententiam, immò Episcopus potest cum eo dispensare, ut illud retineat, nec valet ratio, quia est irregularis, & sic inhabilis & incapax, & per consequens ipso jure privatus utroque privilegio, quia potest deservire Ecclesie in aliis functionibus, nisi sit homicidium qualificatum, prout in assassinio dictum est.

Septimò, Clericus in minoribus bigamus, vel verè vel interpretativè perdit omni privilegium, & potest per laicum castigari, *tex. Gl. & Gem. in c. unico, vers. quidam, de bigam. lib. 6.* ita quòd potest sic salvari, dictum Afflict. *in dicta const.* constitutus verò in Sacris retinet utrumque privilegium, ratio est, quam videas ibi.

COADJUTOR.

Primò, coadjutor primùm dandus est Episcopo propter senectutem, ægritudinem, amentiam. *Conc. Trid. sess. 25. c. 9. de refor. c. unico, de cler. ægror. lib. 6.* & quando datur Episcopo, vide de ejus potestate, & qualitatibus, *Syl. q. 4. par. 2.*

Secundò, Archidiacono propter easdem causas.

Tertio, parcho propter easdem causas, & propter insufficientiam, *Conc. Trid. sess. 21. c. 6. de reform.*

Quartò, an coadjutor Archiepiscopi, etiam cum futura successione, possit uti pallio, dic quòd non, ratio datur quia nondum est Archiepiscopus. similiter an possit uti benedictione Episcopali, dic quòd sic, si est Episcopus in absentia Archiepiscopi, vel præsens, & eo abnuente, similiter an uti mozetam. dic quòd sic absente Archiepiscopo, quia jam est prælatus, & in sua dioecesi, & provincia, vide *Nav. conf. si. de cler. ægror.* sed potest sedere in sede Archiepiscopi, si nec consuetudo, nec statutum loci contradicit eo absente in choro.

Quintò an habeat generalem & liberam potestatem, *tex. in c. grandi, & ibi gl. in ver.* videtur dicere, quòd sic, & ita *Gem. ibi vers. quero an, de suppl. negl. præl. lib. 6.*

Sextò, Coadjutor potest dari omnibus prælatis propter longam inhabilitatem, *Gem. in c. si. ver. & per prædicta eo. tit. & lib.*

COMPROMISSUM.

Primò, compromissum, quamvis non transeat ad successores, neque ad hæredes, *c. si. de arb.* tamen compromissum à prælato, super rebus Ecclesie ipsius, etiam non factà mentione successoris, etiam si factum sit nomine proprio prælati expressò, etiam si fiat inter rem Ecclesie, & privatum, transit ad successorem, *ca. presentia, de test. & ibi*